

rin membro virili erecto, ad respectum virtutis generantis & fœcundantis; quoniam ex mente philosophi, Deus & sol generant hominem & omnes res. Deus Priapus idem existimatus fuit soli, & Orpheus in hymno attribuit illi qualitates solis, splendentis in mundo & adferentis lucem. Membrum virile videbatur favere fœcunditati, solebantque pueri id gestare appensum collo sub appellatione fascini, quæ superstitiones ortum habebant ex antiquissimis Priapi & Bacchi cærimoniis. Etiam putabant Ægyptii solem esse eundem Priapo & Tempori, qui virtute sua se demonstraret, quæ peragrat Zodiacum & annum efficit. Talis nunc is exhibetur cum alis in humeris & pedibus in rapidissimo suo cursu, & ut ait Macrobius, pennæ attribuebantur Mercurio, ut is ornaretur natura solis, quippe quæ esset anima mundi & velox instar mentis. Propterea Ægyptii fingeant alatum simulacrum solis, cujus pennæ erant gemini coloris, claro altero & splendente, quum nempe sol circumdat partem superiorem zodiaci, altero cœruleo, quando in parte inferiori percurrit signa hiemalia. Abraxas dextra elevat sceptrum cum capite upupæ, quæ avis propter quatuor colores in pennis cristæ erat symbolum elementorum ac tempestatum: manu vero sinistra tenet scorpionem. Refert Scaliger has supersticiosas figuras & amuleta in usu fuisse apud Arabas, quibus appellata fuerunt *Talismans*, gestataque in annulorum gemmis, sculpta certis cum observationibus lunæ, temporum, signorum & astrorum cælestium positionis ac benefica habita, atque adeo inde promittentes sibi stupendas vires contra serpen-